

tando limitationes, & plures, ac diversos casus distinguit, at tandem descendit ad modum practicandum in huiusmodi compulsionibus, adnotatis duabus sententiis, quæ omnia recolenda sunt apud eum.

37 Duodecimus effectus est, quod negligens teneatur resarcire omnia damna, & reparare injuriam, quæ ex sua negligentia alteri contingunt, ut est *tex. expressus in c. si culpa tua de injur.*, & *damno dato, facit tex. in l. si servus 27. §. si quis edificii V. si ex plastro ff. ad l. aquil.*, *l. qui occidit §. in hac quoque ff. eod. Afflict. decis. 279. num. 8.*, idem negligens tenetur etiam de casu fortuito, quem mora præcessit *c. final. de deposito, Cagnol. in l. 23. num. 87. ff. de reg. jur.* Ita commodatarius, & depositarius, qui expetiti fuerunt in mora restituendi, & interim res pereat casu fortuito, ita ut taliter non fuisset peritura, tenentur ad rei pretium exbursandum, ex traditis per *Rebell. de Just.*, & *Jure lib. 16. de præcario num. 7.*

38 Decimus tertius effectus est egestas, & inopia, idem *Paulus 2. ad Corinthios (qui parce seminat parce, & metet) & Proverb. c. 20. dicitur (noli diligere somnum, ne te egestas opprimat) Proverb. 28. (qui operatur terram suam satiabitur panibus, qui seclatur otium replebitur egestate) Proverb. 18. (omnis piger semper in egestate) Parabolis Salamonis c. 10. egestatem operata est manus remissa, manus autem fortium divitias parat, qui congregat in messe, filius sapiens est, qui autem sterit æstate filius confusionis.* Ad hoc facit, quod scribit *Plinius lib. 12. c. 6.* quod quidam *Cajus Furius Cresinus*, dum *Agellum suum diligentissime coleret plurimos, & uberrimos fructus colligeret, à vicinis habentibus amplissimos agros, & per neglectam culturam paucissimos percipientibus fructus calumniatus coram senatu, quod maleficiis alienos agros redderet infructiferos, ille atulit in iudicium plura instrumenta rustica ferramenta egregie facta, graves ligones, Vomeres ponderosos, Boves saturos, dicens, Maleficia mea quirites hæc sunt, quibus addantur lubricationes, vigiliæ, & sudores, undè omnium sententiis ipse de diligentia laudatus absolutus abiit, calumniatores vero de negligentia culpatis erubescerent fuerunt rejecti; idem laborantes, & operarios diligentes, vocat dominus ad mercedem recipendam. *Matb. 21. venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos; Matb. 20. voca ope-**

rarios, & da illi mercedem; *Ad Tessal. 3. si quis non vult operari, nec manducet, undè, & illud adagium, qui non laborat non manducat, glos. 2. in l. quamvis alienus ff. de damno infect.*, & licet loca scripturarum, ut plurimum intelligantur in sensu mistico, & de egestate, & inopia spirituali; tamen etiam de corporali, & temporali benè verificantur; idem Religiosos otiosos maximè reprehendit, *Roderic. q. regul. tom. 4. c. 25. n. 13.*, & *seqq.*, & *Matb. 25. de eo, qui talentum receptum abscondit in terra, atque neglexit negotiari, dicitur, & non habenti, etiam quod habet auferetur ab eo, & tanto magis propter suam negligentiam, egestate torqueatur, Esau Genesi c. 25.*, quia neglexit sibi labore cibos parare, egestate, & fame coactus, vendidit primogenita; *Ambros. lib. 3. epistolarum epist. 25. non longè à fine, ait, otiosus Esau amisit primatus benedictionem, quia maluit cibum accipere, quam querere, laboriosus Jacob apud utrumque parentem invenit gratiam.*

39 Decimus quartus effectus est, ut ad evitandam, aut tollendam negligentiam Clericorum, aut beneficiatorum in Ecclesiæ servitio, fieri possit unio beneficiorum pro augmento distributionum insufficientium pro sustentatione beneficiatorum, & tunc unio dicitur facta ex causa necessaria, ne scilicet ob tenuitatem alimentorum servitium Ecclesiæ negligatur *decis. 91. nu. 1. p. 9. recent.*, qui tamen effectus propriè non est à negligentia, sed propter tollendam, seu evitandam negligentiam.

40 Decimus quintus effectus est, quod licet minor læsus ex mera sua negligentia, etiam absque dolo adversarii restituatur in integrum, ut latius dicam infra, ubi de negligentia minorum. *Odd. de rest. in integ. p. 1. q. 4. art. 2. num. 8.*, ubi resolvit argumenta dicentium, negligentiam non sufficere, sed requiri, etiam dolum adversarii, nam oppositum legitur in *l. minoribus*, ibi etiam sine dolo adversarii, *C. de in integr. rest.*

41 Attamen limita si sit negligentia in petenda restitutione in integrum, quia transacto quadriennio concessio ad petendam huiusmodi restitutionem, si negligat ille, qui fuerat minor, petere, & complecti ætate 25. annorum, adhuc per quatuor annos subsequentes non petat, absque ullo impedimento, & præcisa ignorantia, tunc non amplius restituitur in integrum, quod etiam habet locum

locum in Ecclesia ad *cap. 1. de restit. in integrum in 6. concord. tex. in l. fin. C. de tempor. in integrum restit. pet.*, & *Clem. eod. tit.*, ubi quod tempus statutum ad petendam restitutionem currit negligenti; *Redoan. de reb. Eccl. non alien. q. 23. §. 1. num. 10.*, & *seqq.*, *Odd. de rest. in integrum q. 19. num. 36.*, & *seqq. q. 20. num. 32.*, & *seqq.*, *Barbosa in d. c. 1. num. 19. de rest. in integ. in 6.*, *Turricella de alien. rerum Eccl. c. 29. num. 21.*, ubi & *Rota.*

42 Sublimita, quia in tribunalibus Urbis ex stylo, si minor, aut Ecclesia passa sit enormissimam læsionem, habito respectu ad totum patrimonium, tunc etiam post quadriennium elapsum conceditur restitutio in integrum. *Rota Decis. 412. num. 5. p. 5. rec.*, *Borell. summa Decis. tit. de reb. Eccl. non alien. tom. 1. num. 73.*, *Turricell. tract. de alienat. c. 29. num. 32. 35. 36.*, & *facit tex. ad c. ad nostram de reb. Eccl. non alienand.*

43 Decimus sextus effectus est, quod negligens post denuntiationem sibi factam à iudice tollere arborem, quæ in ædes vicinas pendet, perdit eam, & vicinus auctoritate propria poterit arborem scindere, & asportare, ut ponit *Barbosa in l. 1. ff. de arbor. caden.*

44 Decimus septimus, opem petenti ad repellendam injuriam, si negligas opem, & auxilium præstare, ubi commodè possis, censuris injuriantis favere, & præsto esse, *arg. in c. dilecto de sent. excom. in 6.*

45 Decimus octavus, qui est negligens in rebus propriis curandis, non idem excusabitur si sit negligens in rebus alienis gerendis, quin potius crescit culpa, *l. si constante §. si maritus ff. solut. matrim.*, immò, qui negligit curam domus propriæ, non debet eligi ad regendam alienam, seu aliena negotia, sic *Paulus 1. ad Timot. c. 3.*, *sit domui suæ benè præpositus, quia si domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei diligentiam habebit.*

46 Decimus nonus, Negligens uti rescripto infra annum, amplius eo se juvare non potest, *c. plerumque ubi D.D. de rescriptis.*

47 Vigésimus. Negligens in majori, præsumitur futurus negligens in minori. *Bartol. in l. ab hostibus §. sed quod simpliciter in 3. col. ff. ex quibus causis major.*

48 Vigésimus primus, per annum negligens in petendo emendationem æstimi sui, seu Catastri, amplius non auditur ad tradit. per *Bartol. in l. forma in fine ff. de cens.*

49 Vigésimus secundus, in dolo censetur

ille, qui negligit id, ad quod ex natura actionis, & negotii assumpti tenetur, ut est *tex. in l. dolus ff. mandati.*

50 Vigésimus tertius, eligentes arbitratorem super aliquo contractu, si infra tempus statutum negligunt notificare, vel certificare arbitratorem electum, censentur ab eius arbitrio recessisse: *Bartol. in l. si quis arbitratus col. ult. ff. de verb. obligat.*

51 Vigésimus quartus: Æquitas negligentibus non suffragatur, *Salicet. in l. si ea C. qui acul. non poss. per l. si pupillus ff. de privil. cred.*, *Mascard. de probat. conf. 1230. num. 43.*, & post eodem aliosque, *Calu. tract. de æquit. l. 2. c. 147. num. 12.*, sicuti nulla est æquitas, quæ negligentibus subveniat, *l. pupillus ff. que in fraud. cred.*, *Menoch. de recup. possess. remed. ult. sub n. 14. V. quia ut animadvertit; Lotber. de re benefic. lib. 2. q. 40. num. 104.*

52 Vigésimus quintus, Negligentia inducit consumptionem expectativæ, dum quis habet expectativam, & data prima vacatione beneficii, negligat instare pro eius consecutione, nequit amplius virtute illius expectativæ, aliud consequi beneficium, *c. si Clericus de præb. in 6.*, *Roman. conf. 329. n. 9.*, *Gabriel. concl. comm. lib. 6. tit. de leg. concl. 2. nu. 6.*, ubi quod expectativo, intelligitur de prima vacatione, ubi neglecta prima vacatione, expectativa consumpta est, *Borell. de comprom. §. 4. glos. 6. num. 7. 8.*, ubi ex *Gersone lib. 1. de contemptu mundi c. 22.*, quod multò labore vix acquisitum est per gratiam, citò perditur per negligentiam.

53 Vigésimus sextus: Est, ut aliqua ex antiquis deducamus, de Cæsare Augusto refertur, quod *Vivus Mausoleum* sibi condidit, ne hæredum negligentia careret honorabili sepulcro. *Lavor. de prisco funerandi more tit. 2. c. 11. num. 26.* ubi, & aliorum referuntur effectus.

54 Vigésimus septimus: De Virginibus Vestalibus, quarum cura erat curare, ne ignis Deæ Sacer extingueretur, si contigisset, quod negligentia custodientis extinctus foret, ea in abdito conclavi detenta flagris plectebatur.

55 Vigésimus octavus: Regula Cancellariæ de annali possessore defendit, annalem possessorem beneficii, etiam si nullum habeat titulum, vel coloratum, ubi regula de trienniali possessore defendit, tantum habentem titulum coloratum, & *Gomez. ad reg. de annali q. 8.*, quærit, quanam sit causa differentia,

tia, cum potius videretur e contra titulum coloratum magis requiri in annuali, quam in triennali possessore, & respondit, quod regula de annali non favet possessori, propter se principaliter, sed propter negligentiam impetrantis; nam cum impetrans potuerit impetrare ante lapsum anni, & sit negligens, idem regula in ejusdem negligentia odium data est.

56 Vigessimus nonus Effectus est, quod casus fortuitus, qui alias solet excusare; *Rota Genue decis. 56. num. 1. per ibi allegata*, tamen data negligentia, & mora in restituendo rem, quam debet restituere, vel negligenti imputatur, *l. cum proponas C. de nautico fenore, l. quod te ff. si certum pet., Ludovis. decis. 146. n. 11. 13. 14.*

57 Trigessimus. Ex negligentia oritur tacita renunciatio Jurium, *Giurba decis. Sicil. 4. num. 2., Verall. dec. 266. nu. 4., Ludovis. decis. 507. num. 4., Fontanell. decis. 282. num. 12., Riminald. Junior. consil. 45. num. 12.*

58 Trigessimus primus, quod negligens non debet esse melioris conditionis, quam alius, cui nihil potest imputari, *l. Servius ff. quod vi aut clam., Riminald. Junior. consil. 48. num. 10. Giurba decis. 4. num. 3.*

59 Trigessimus secundus. Effectus est, qua-

do, & ubi duo fuerint negligentes vicissim, & alter in alterum, tunc ista negligentia pari compensatione tolluntur; unde si Cajus ex negligentia damnificavit Sempronium in decem in negotiatione, & pariter Sempronius damnificavit in decem per negligentiam Cajum, mutua compensatione hujusmodi damnificationes tolluntur, *tex. est expressus in l. si animo ff. de compensationibus*, quem *tex. explicat Beroi consil. 191. num. 34.*, habere locum, quando par esset negligentia, & par esset culpa, & quando tam ex una parte, quam ex altera non constaret, quis magis, & quis minus damnificasset.

In confirmatione prædictorum mirè facit, quod dixit *Salamon. proverb. c. 24. Vers. 30. 31. & 32.*, per hæc verba (*Per agrum hominis pigri transivi, & per vineam Viri Stulti. & ecce torum repleverant Urtica, & operuerant se perficem ejus spine, & Maceria lapidum destructa erat. Quod cum vidissem posui in corde meo, & exemplo didici disciplinam. Usquequo piger dormies, Usquequo de somno consurges. Parvam inquam dormies, modicum dormitabis, parvillum manus conseres, ut quiescas, & veniet tibi, quasi cursor, egestas tua, & mendicitas quasi Kir armatus.*)

ARTICULUS XV.

Qualis, & quanta Negligentia requiratur ad incurrendas Ecclesiasticas censuras, & poenas, & Irregularitatem.



Liqua in hoc articulo ex communi D.D. sententia sunt certa, alia verò sub dispositione, & sententiarum varietate.

1 Ad incurrendam excommunicationem majorem, quæ propter omissionem operis præcepti sub excommunicatione imponitur, requiritur culpa mortalis, sicque negligentia, quæ importet culpam latam, oportet enim, quod omittens sciat sibi præceptum opus sub excommunicatione, sicut *Matth. c. 18. si Ecclesiam non audierit sit tibi sicut ethnicus, & publicanus*, ut autem audiat Ecclesiam necesse est,

ut sciat Ecclesiam præcipere, sitque contumax, & negligens non audiendo, idest non implendo præceptum, quæ contumacia, & negligentia erit gravis, & mortalis, dum omittit facere, quod sub poena gravi fuit præceptum, quod indubitatum apud omnes dicit *Sanchez. de matrim. lib. 9. disp. 32. num. 29.* ex gravitate enim poenæ comensuratur delictum *c. felix vers. illud de parvis in 6. c. fin. de iis quæ fiunt à majori parte capituli, c. proposuisti disp. 82.*, ex allegatis per *Barbosam in votis decisiois vot. 53. num. 5.*, facti *tex. in l. sanctimus C. de poenis, c. non asseramus 24. quest. 1. Vide art. 23.*

2 Ex-

2 Excommunicatio verò minor, cum imponatur propter culpam venialem, ut est communicare cum excommunicato, ita poterit etiam propter negligentiam venialem, quæ scilicet importat culpam levem, incurri.

3 De Negligentia requisita ad incurrendam suspensionem, major est difficultas, utrum semper requiratur negligentia lata, seu quæ importet culpam latam, & mortalem, vel etiam sufficiat negligentia levis, aut levissima, quæ importat culpam tantum venialem, observo tamen, quod suspensio quandoque habet rationem poenæ, & non censuræ, & est quando fertur à Judice pro delicto commisso, & in hoc casu non cadit negligentia, de qua hic querimus, quandoque infertur pro delicto committendo, & tunc habet rationem censuræ, contingit autem, quando Episcopus præcipit aliquid fieri sub poena suspensionis latæ, aut ferendæ sententiæ, & Clericus negligit implere præceptum, in quo casu est præsens investigatio, in quo articulo non sic concordant scribentes, qualis, & quanta negligentia requiratur, *Navara enim summa c. 27. num. 151., 159., 165., summa Armilla V. suspensio in principio*, existimant sufficere culpam levem, qua propter negligentiam cum veniali culpa sufficiat.

4 Alii verò, quorum sententiam esse hodie valde receptam, dicit *Suarez. de censur. disp. 28. sec. 4. nu. 6.*, requirunt culpam mortalem, eo semper fundamento, quia suspensio, cum sit poena gravis, solum pro culpa gravi ferri debet, ut poena commensuretur delicto.

5 Verum ipse *Suarez.* bene distinguendo procedit, nam suspensio multipliciter ferri potest, vel scilicet generaliter, & totaliter, idest ut suspendat Sacerdotem ab exercitio omnium ordinum, & à beneficio &c., & dicitur ab officio, & beneficio, & tunc eam poena sit gravis, requiritur etiam culpam gravem, sicque negligentiam, quæ importet culpam mortalem.

6 Alia verò fertur suspensio partialis, idest ab uno, & non ab omnibus, ut ab officio, sed non à beneficio, vel exercitio unius ordinis, & non omnium ordinum, à participatione distributionum correspondentium uni horæ canonicæ, & non cæteris; si ergo suspensio sit generalis, & totalis, tunc requirit negligentiam, quæ importat culpam latam, & mortalem, ea ratione, quia est

poena fati gravis, quod quis suspendatur ab officio, & beneficio, si verò sit partialis videndum est etiam, an sit poena gravis, vel levis, si gravis, ut est suspensio ab officio, quia tunc non poterit exercere officium ordinum, nec missam celebrare, vel à beneficio tunc etiam requiritur negligentia, quæ importet culpam gravem, at si est suspensio de aliquo, quod reputetur leve, ut à participatione distributionum correspondentium uni horæ tunc poena levis est, levis etiam sufficet culpa, sicque negligentia, quæ levem, & venialem importet culpam.

Quæ usque modo dicta sunt militant, non solum in censuris, sed in qualibet poena, quia semper intrat regula, quod poena debeat commensurari delicto.

7 Potissima difficultas est de irregularitate, quam aliqui dixerunt poenam, alii non poenam sed impedimentum, & incapacitatem canonicam, ex quo deducebant posse incurri irregularitatem ex quacunque culpa, quia cum non sit poena, non refertur ad culpam, quæ sententia habet verum sensum considerata irregularitate, quæ oritur ex defectu, tunc neque est poena, neque culpam supponit, quod enim quis sit cæcus, claudus, manu carens, &c., non idem est in culpa, & tamen est irregularis, quod ostendit *Christus Dominus Jo. c. 9. discipuli interrogantibus de cæco nato (Magister, quis peccavit hic, aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur) respondit neque hic peccavit, neque parentes ejus, at irregularitas, quæ oritur ex delicto, hæc est poena, dicens relationem ad culpam, & de hac est præsens questio, si contingat, quod irregularitas infurgat ex culpa consistente in omittendo, an ista omissio, quæ est negligentia debeat esse culpa gravis lata, & mortalis, an sufficiat levis, vel etiam levissima.*

8 Proponit sub his terminis hanc difficultatem. *Diana part. 4. tract. 2. resol. 21., Suarez. de censur. disput. 45. sec. 5. num. 4.*: Qui bene explicat questionem, non esse de irregularitate, quæ incurritur ab eo, qui dabit operam rei illicitæ, periculosæ, ut in homicidio casuali commisso ab eo, qui dabit operam rei illicitæ, propter periculum homicidii, vel mutilationis; *argum. text. in c. continebatur de homicidio*, ubi nullam aliam inveniens culpam in Monacho facto irregulari, nisi quod daret operam rei illicitæ, periculosæ, pro ut infra patebit, exemplificat *Farinac.*

G 2

rinac.